

Cæterum ruptura hæc suo tempore iterum accietur. « E Magdeburgensibus unus quidam dixit, inquit Florimundus, lib. 1. de orig. hæres. c. XII. malas artes et fraudes quæ contra veram religionem adhibentur, similes esse cuneo, cuius acies tenuis admodum est, lignoque infixus, haud ita magnam fissuram facturum videtur: ubi in rimam adigitur, paulatim hiatum ampliorem facit, donec tandem vel maximam trabem omnino diffindat. Primam cunei huius Lutherani fissuram ait cardinalis Hosius fuisse de indulgentiis disputationem. Secunda latior multo fuit et profundior, communicatio scilicet laicorum sub utraque specie et clericorum matrimonia. At Augustana confessio, quæque postea secuta sunt, tantam dederunt fissuram ac hiatum, ut nisi Deus propitius non respexisset, nunquam tam grandis hæc scissura rursus coalescere et ad pristinam integritatem redire posse videatur. Sed quemadmodum Milo athleta, quum nimia virium fiducia arborem in media parte hiantem diducere vellet, brachiis, redeunte ad se arbore, hinc inde constrictis, et deficiente conatu retentus, lupis esca fuit: sic quamvis hæreticus hic gladiator, alique non minus validam quam antiquam Ecclesiæ arborem discindere annixi sint, nunquam tamen totam eam convellent. Sed spes est potius, eam pristina unitate rursus coalituram cum perpetua ignominia et ruina eorum qui diducere eam ac dividere sunt conati. »

Quod vero navis pene mergebatur, significat pravos Christianorum mores secundum S. Augustinum, lib. II. quæst. evang. q. II. Illis enim quandoque adeo premitur et affligitur Ecclesia, ut videatur jamjam submergenda.

VI. Quare Petrus ait: *Exi a me Domine?* Respondetur, id dixisse ex humilitate, considerata Christi Domini potentia et magnitudine, sui ipsius vero vilitate et indignitate; se enim utpote peccatorem et vilem homuncionem indignum reputabat, qui Christum in navi sua haberet, tam sibi præsentem. Forte etiam timuit, ne a Deo puniretur, quod coram tam sancto ageret, ac ne in præsentia illius Deus peccata ejus rememoraret, uti Sarephthana illa dixit Eliæ: *Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meas et interpereres filium meum?* III. Reg. XVII.

Putabat enim ideo mortuum esse filium suum, quod virum tam sanctum ipsa peccatrix recepisset, sicque iniquitas ejus magis eluceret, utpote contraria juxta se posita. Quid mirum si lepuseculus timeat coram leone? Solent enim minima a maximis absorberi et consumi, aquæ gutta ab igne copioso. Nolo tamen ut hoc prætextu subtrahas te a frequenti communione. Nam hoc ipso, quo te humilias et indignum judicas tanta Christi familiaritate, dignus ea efficeris; et Christus se ad te libentius demittit, qui non modo non exiit a Petro, id postulante, sed potius eum bono animo esse jussit, et socium sibi individuum assumpsit: B. Virgo nominabat se ancillam Domini, et Dominus eam elegit in matrem: Joannes Baptista indignum se dicebat, qui solveret ei corrigiam calceamentorum; et Dominus elegit eum in suum Baptistam: indignum se reputabat Publicanus, qui in penitentiâ templi intraret et oculos ad cælum attolleret, et Dominus prætulit eum Phariseo.

VII. Quid significat hæc piscatio, et qui differt ab illa Joan. XXI. Respondetur, primum hoc miraculum, quod contigit ante resurrectionem Christi, significare Ecclesiam militantem: alterum quod contigit post ejus resurrectionem significare Ecclesiam triumphantem, quæ colligetur in regnum cælorum, post communem resurrectionem. In primo laxatur rete indifferenter in capturam, quia ad Ecclesiam colliguntur et boni et mali; in secundo mittitur in dexteram, quia tunc solum colliguntur boni ad vitam æternam: in primo rumpitur et navis pene mergitur, quod significat schismata, hæreses et scandala, quæ Ecclesiam premunt et fluctuare faciunt; in secundo non rumpitur; ut expresse scripsit Joannes, quasi respiciens ad hoc primum miraculum, in quo scissum fuit rete: in primo sine numero comprehenduntur pisces, qui juxta Psalmum XXXIX. fideles: *Multiplicati sunt super numerum*; in secundo fuit certus piscium numerus, quia certus et definitus est electorum numerus, ita ut nulli præter eos in cælum penetratum sint: in primo mittuntur pisces in navem adhuc fluctuantem; in secundo trahuntur ad littus, quia in Ecclesia militante excidere possunt pisces a beatitudine, non item in triumphantem.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

PRÆSTANTIA ET NECESSITAS VERBI DEI.

I. Instar panni vestit et ornat animam. — II. Dicitur sicut aurum et argentum. — III. Cibatur animam velut bos assatus, suffertur variis cupidibus. — IV. Pabulum est sensuali et corruptæ naturæ.

THEMA.

Cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei. Luc. V.

Quid est, auditores, quod in hodierno evangelio turbæ irruant in Jesum, ut audiant verbum ejus? Tantine est verbum Dei, ut pro eo audiendo irruant in ipsum prædicatorem Jesum? Et forsitan (ut alibi Lucæ XII. fecerunt), se invicem conculcent? Si magna et copiosa munera Christus proposuisset: si quemadmodum imperator in sua inauguratione facere solet, aureas et argenteas monetas in populum sparsisset: si pretiosos pannos, si assatum bovem, si cumulum avenæ diripiendum dedisset; (hæc enim in prædam dantur adventantibus, pannus in vestem, bos in victum, pecunia in viaticum, avena in equorum pabulum) non mirarer equidem si talis prædæ gratia se comprimerent et conculcarent. Jam vero nihil tale, sed simplex Dei verbum spargitur a Christo: et ecce irruunt, comprimunt et conculcant se, ut audiant verbum ejus. Quid si forsitan illi oculos habuissent, multo illuminatiores quam nos habeamus? Quod si perspexissent verbum Dei habere aliquid simile cum imperialibus illis donariis, adeoque esse aurum et argentum? Esse pannum et vestimentum pretiosum? Esse bovem assatum et pabulum necessarium? Ita sane mihi videtur, quod ut nos etiam videamus, hic adlaborabimus.

I. Est instar panni, quo vestire possumus animas nostras, quod enim de sapientia divina ait Sapiens, Sap. VII. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius*, hoc idem de verbo Dei, quod affert et gignit illam sapientiam, recte dici potest. Offert enim homini non unius sed varii generis pannos, unde sibi virtutum vestes honestissimas facere nequeat. Peccati originalis præcipua pœna fuit, quæ nobis adhuc inhaeret, spoliatio justitiæ originalis et virtutum supernaturalium, eam comitantium; quibus sublatis nudi et fœdi remansimus una cum protoplastis, quam ob causam illi se absconderunt et timuerunt Deum adventantem: *Eo quod nudi essent*: non quia corpore (nam et ante peccatum erant nudi, nec

tamen erubuerant,) sed quia audi animo, cui nuditatem et pudorem peccato suo induxerant. Veste igitur gratiæ et virtutum ornatu indigemus miseri. Huic conficiendæ pannos et materiam exhibet Dei verbum, gratis diripiendum. Docet enim nos recte vivere; docet nos virtutes, et quo pacto eas consequi, ac fugere vitia debeamus; docet nosse et amare Deum; docet viam cœli, in quibus omnibus consistit vera sapientia. Et certe experimur eos, qui crebro et attente avideque audiunt Dei verbum, homines esse pios, justos, compositos omni virtutum genere ornatos: eos vero qui raro vel nunquam audiunt, esse virtutibus nudos, sordibus vitiorum immersos, et ut ait Clemens Alexand. I. 4. strom. *Sues, qui magis delectantur luto, quam aqua munda*. Contra vero: *Quis in verbis veritatis germane et sincere sunt educati, accepto viatico æternæ viatico, sublimes in cælum feruntur*. Ratio in promptu est quia verbum Dei monstrat rationem, qua vestis virtutum sarta conservetur, lacera aut fœda resarciatur et eluatur, quod alibi non dicitur. Unde quæso fit, ut milites tam perversi, tamque insolentes et in omne vitiorum barathrum am projecti sint, hoc præsertim tempore? Utique quia nunquam audiunt verbum Dei, nullæ jam us conciones fiunt, quare nihil de Deo et divinis rebus cum audiant, quasi athei fiunt. Apparet idem satis luculenter in iis nationibus, in quibus raræ habentur per annum conciones; quod in iis disciplina christiana vehementer frigeat; homines effertati sint et ad vitia prout, pervivaces, correctuque difficiles evadant. Sicut e contra ubi frequentes toto anno fiunt et audiuntur conciones, homines videbis compositos, modestos, mansuetos, tractabiles et Dei timore præditos. Non est commentum, sed propheta Amos vaticinium, imo Dei per os ipsius, cap. VIII. dicentis: *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini*. Additque mox effectum hujus famis: *In die illa deficient virgines pulchræ, et adolescentes in siti*. In quæ verba S. Hieronymus, ibid. « Deficient, inquit, virgines, quia verbum Domini non inveniunt. Ex quo intelligimus, quando doctrina non fuerit in Ecclesia, perire pudicitiam, castitatem, mori omnes, abire virtutes, quia non comederunt verbum Domini, quod qui comederit, saginatus ejus cibo audiet per Salomonem: *Justus comedens saturat animam suam: animæ autem impiorum esurient*. » Prov. XIII. Sic ille. Jam vero videmus plerosque corporis ornatui admodum studere, ut vestibus

niteant, omniaque fere membra suum pecularem et gratiosum ornatum habeant, caput elegantem pileum, pileus spiram et plumam, aures suas in aures, collum torquem, digiti annulos, manus armillas, lumbi balteum, femur gladium, tibiae ocreas aut tibialia, pedes nitidos calceos, calcei rosas, etc. At cur non pari saltem cura studet unusquisque ornare animam suam? Ornatum vero illum ubi comparabunt, nisi in verbo Dei? Socrates Xenophontem in quodam angiporū aliquando obvium habuit, et cum videret ipsum adolescentem bonæ indolis esse, porrecto baculo vetuit, ne præteriret; cumque ille constitisset, rogavit ubi venderentur pulchræ vestes, pocula aurea et similes merces, quibus homines uterentur. Ad id cum prompte respondisset Xenophon, percontatus est ulterius, ubi homines fierent boni; cum adolescens responderet, se id nescire: *Me igitur sequere, inquit, ut hoc discas.* Ex eo tempore Xenophon factus est discipulus et auditor Socratis, Erasmus, l. III. apoph. Absurdum plane est scire, ubi parare queas honestam vestem, et ignorare ubi comparare possis honestam vitam: absurdius adhuc scire et non quærere, cum passim obvium sit Dei verbum, et quibusvis diripiendum detur; quo honestatis vestes comparari possunt non difficile.

II. Est quasi aurum et argentum in publico dispersum. Testatur id Psal. XI. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* Qui aurum et argentum habet quid in mundo non habet? Qui Dei verbum amant et studiose audiunt, divites in cælo et coram Deo fiunt. Imprimis enim paras tibi meritum, dum attente audis. Deinde, Dei gratiam, dum tibi applicas, eoque velut aratro cordis tui agrum a noxiis herbis expurgas. Nam ut ait auctor operis imperf. hom. XL. in Matth. *Sicut rastro ferro radicitus evelluntur herbæ a vinea, sic et acri sermone vitia de populo resecantur.* Resecuit hoc rastrum e corde mimi cujusdam vitium luxuriæ, qui cum duabus pellicibus luxuriose vivens, dum in concione audiret illud unicum: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum,* mox immutatus et conversus pellicibus renuntiavit, et monasterium ingressus est, cujus exemplo et ipsæ se pœnitentiæ addixerunt, in prato spirituali, capite XXXII. «*Salix dicitur radicem non habere, inquit Sanctus Hieronymus, in Psalm. CXXXVI. sed si ramus abscinditur et plantatur secus aquam, statim virescit. Ita et peccator licet peccaverit, licet ceciderit, tamen si sit secus aquas, hoc est, si legit sacras Scripturas, et audit verbum divinum a sancto viro, viret ejus anima, et in pœnitentiam convertitur.* » Quis a mimo illo, luxuriæ immerso,

et omni virtutis radice destituito virorem pœnitentiæ expectasset? Et tamen ubi ad aquam verbi divini accessit, in momento quasi reviruit. Ad hæc qui jam gratia et virtutibus devotesunt, semper divites fiunt, dum iisdem perficiuntur et augmentis cumulantur. Hinc idem Chrysostomus, homilia I. de Lazaro ait: «*Eos, qui sobrietatem amplectuntur, reddimus modestiores magisque compositos, dum ex oratione nostra declaratur, quod optimis ducantur consiliis, qui non abducuntur exemplo multitudinis. Non erexi quidem ægotantes, attamen eos, qui valent, reddituri firmiores: non abduxit a vitio sermo noster, sed tamen eos, qui cum virtute vitam agunt, reddidit attentiores: » et in homilia de Anna et Samuelis educatione: «*Quemadmodum arbor perpetua irrigatione in magnam excrescit altitudinem: sic et hic divinarum eloquiorum doctrina assidue irrigatus ad virtutis fastigium pervenit.* » Cesset pluvia, cesset irrigatio, non crescit arbor, sed in sua mensura consistet, ac demum exarescet. Jam qui agros tuos aut arbores tuas steriles redderet frugiferas, nonne te ditaret? Rursum qui ex fecundis fecundiores faceret, vel stannea vasa tua in argentea, argentea in aurea converteret, non te ditorem redderet? At hoc Dei verbum facit. Denique, verbum illud thesaurum in cælo parat; docet enim varias artes illum acquirendi, et qui illud amant, audiuntque sicut decet, frequenter et cum gustu, argumentum præbent se hæredes esse thesauri illius cœlestis. Colligunt id sancti patres, uti Sanctus Gregorius, homilia XVIII. et Sanctus Bernardus, sermone I. in septuag. ex illo Christi verbo Joannis XVIII. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Sicut enim ovis quæ audit, vocem pastoris et sequitur, secuta est a lupo; quæ vero non audit, facile aberrat, et in lupi fauces incurrit: sic et qui Christi pastoris verbum audiunt, in tuto et salvi sunt: qui vero audire detrectant, errant a salutis via, et in lupum stygium incidunt. Jure igitur sibi timere possint, qui verbum Dei negligunt, vel perfunctorie tantum audiunt. Audiant illi Sanctum Bernardum citatum, sermone I. in septuag. «*Nonnullos, ait, sic interdum audientes invenies, ac si nihil omnino ad eos pertineant, quæ dicuntur: non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare, ne forte quod audiunt, dictum sit propter eos. Magis autem si sermo Dei vivus et efficax adversus vitia illa processerit, quibus se illi sentiunt obligatos, dissimulant et avertunt oculos cordis, aut qualibet adinventione palliant vitia, et seducunt miseri semetipsos. In his ergo salutis signa non video. Magis autem vereor, ne forte propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo.* » Sic ille.*

III. Est quasi bos assatus, suffertus perdicibus, phasidibus, caponibus, leporibus, nefrendibus et similibus, quia est cibus animæ varius et copiosus. Habemus hoc ab ipso Christo clare dictum Matthæi IV. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* In quæ verba Paschasius Ratbertus, libro II. in lamen. Jer. in bibl. sanctorum patrum ait: *Integer homo ex duabus constat substantiis, anima videlicet atque carne: et sicut caro sine cibo potuque vivere non potest; ita et anima sine pane verbi Dei potuque spirituali.* Cibus hominis non uniformis, sed varius a Deo destinatus est, ne fastidio eum replet. Dei etiam verbum varias proponit escas et delicias, suffertus variis conceptibus, historiis, dictis sapientum, similitudinibus, quibus appetitus excitetur, singulis concionibus novas et novas, ita ut varietatis finis non sit. Quemadmodum etiam manna omnium escarum, quas quisque desiderabat, gustum et saporem habebat: ita et verbum Dei ad omnia nobis prodest, et præbet medicinam. Ita etiam Origenes, homilia VII. in Exodum scribit: «*Si tu verbum Dei tota devotione susceperis, fiet tibi ipsum verbum, quæcumque desideras, verbi gratia: Si tribularis, consolatur te, dicens: Cor contritum et humiliatum Deus non despicies: si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudium dicens: Lætamini in Domino, et exultate justi: si iracundus es, mitigat te, dicens: Desine ab ira, et derelinque furorem: Si in doloribus es, sanat te, dicens: Dominus sanat omnes languores tuos: si paupertate consumeris, consolatur te, dicens: Dominus allevat de terra inopem: sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem, quæcumque volueris.* » Huic accedit Sanctus Basilius, qui homilia II. de jejuniis, concionem appellat convivium, uti et Eusebius Gallicanus, in festo Sancti Matthæi: *Quoties episcopi et sacerdotes in Ecclesia prædicant, toties convivium præparatur, in hoc autem convivio tales potiones, taliaque infirmis antidota proponuntur, quibus cæci illuminantur, leprosi mundantur, paralytici curantur, mortui resuscitantur, omnesque morbi, omnesque infirmitates sanantur.* In convivio variæ proponuntur epulæ, ut quisque, quas sibi salutes aut gratas judicat, sumere possit: ita et in concione variæ afferuntur doctrinæ pro cujusque stomacho seligendæ. Nemo tenetur omnia comedere, quæ in convivio apponuntur: sicut nec bovem assatum integrum absumere. Sumat quisque quantum sibi potest.

Quare si quem ipsa honestas et utilitas verbi Dei non alliceat, ipsa saltem jucunditas allicere deberet. Hanc enim sentiens mirabatur David, Psal. CXVIII. exclamans: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Non secus

ac Hebræi, quando primum manna cælo lapsum gustantes exclamarunt: *Manhu? Quid est hoc?* suavitatem ejus admirati. Verbum Dei cælo delapsum est, et cœlestem adfert dulcedinem, dum auditores ad cælum dirigit et in via confortat, et demum cœlestis gloriæ manna illis promittit. Quid enim dulcius quam audire vocem denuntiantem sibi Dei gratiam? Sic enim Paulus, Act. XX. prædicationes suas appellat *evangelium gratiæ Dei*, quia scilicet gratiam Dei denuntiat hominibus; quemadmodum et ipse facit in omnibus fere suis epistolis: *Gratia vobis et a Deo Patre, etc.* non a mortali principe, sed a Deo. Et mirum valde est, quod multi tanta aviditate nova, quæ alibi fiunt, in dies legere et audire desiderant, quæ tamen parum aut nihil utilitatis, et sæpe plus mœroris quam gaudii afferunt, sæpissime conficta sunt: Dei autem verba, quæ simul et jucundam et saluberrimam, et verissimam doctrinam continent, in fastidio habent. Ad cantilenam unam, quæ fidibus aut cithara luditur, multi de nocte surgunt, somnum abrumpunt et ad fenestras currunt: ad convivium invitati quanto appetitu, quanto desiderio conveniunt? Super animæ convivio nauseat anima nostra. Caveamus ne cum Hebræis propterea puniamur.

IV. Est quasi pabulum depravatæ naturæ necessarium. Homo per peccatum originale bruto et equo similis factus est, tum quoad ignorantiam, tum quoad concupiscentiam, quæ instar effrænis equi, perditio aureo justitiæ originalis fræno, rebellis rationi in præcipitia ducit hominem. Quare ad divinam providentiam pertinebat huic malo providere, sicut ex bonitate sua providit hominis fami, siti, nuditati, infirmitati, cibum, potum, vestem, medicinas. Ejus ergo ignorantia providit verbum Dei, quo animum dirigere et salutem consequi potest. Sine lumine isto perpetuo erraret, in tenebris ambularet, sine pabulo isto periret. Quemadmodum enim sal necessarium est carnibus enectis ne putrescant; ita verbum Dei, hominibus per lapsum Adæ corruptis. Unde Dominus, Marci IX. ait: *Habete in vobis sal, quia uti conservat sal carnes, sic sermo doctoris non sinit in hominibus carnalibus inextinguibilem ignem generari,* ait Theophylactus. Homo in statu naturæ lapsæ est velut lac aut sanguis pecorum, vasculo exceptus qui nisi continuo agitur, mox coagulatur: unde Psal. CXVIII. dicitur: *Coagulatum est sicut lac cor eorum.* Propterea licet excommunicati arceantur a divinis sacramentis, a verbo tamen Dei minime arcantur: imo ad id potius modis omnibus trahendi sunt, ut eo sanentur. Nimis enim durum foret cibum necessarium talibus prohibere. Sciens hoc humani generis hostis, modis omnibus la-

borat, ut homines a Dei verbo audiendo abstrahat. Fecisse hoc videtur, Act. XX. concionante Paulo usque ad mediam noctem, sub qua oppressus somno adolescens lapsus de fenestra ex coenaculo, subleatus est mortuus. Auctorem namque ejus tragediæ facit diabolus S. Chrysostomus, ibid. hom. IV. *Conturbavit festum*, inquit, *diabolus quantum potuit, demergens somno auditorem ac deprimens*, ut scilicet concionem turbaret, uti et factum est. Sanctus Epiphanius, Dorotheus et chronicum Alexandrinum referunt apud Sanctum, in II. Regum, capite VII.) prævidisse Nathan prophetam lapsum Davidis in grave aliquod peccatum, antequam adulterium committeret; quare quam celerrime e patria advolasse Hierosolimam, ut verbo et adhortatione sua lapsum regis anteverteret; verum Belial seu diabolus objecisse illi in via corpus examine, quod ille dum sepulture, ne a feris devoraretur, mandaret, tempus extraxit. Cum ergo cognovisset spiritu prophetico flagitium a Davide jam admissum esse, re infecta in patriam rediit. Nihil de his sacræ litteræ habent; videtur tamen non spernenda ob patrum illorum auctoritatem hæc narratio, ex qua patet, quid non machinetur dæmon, ut a verbo Dei homines avertat, quo in scelera præcipitet. Sane etiam Cyrillus Alexandrinus, in Joan. cap. XIX. opinatur dæmonem post buccellam in ultima cena intrasse in Judam, ut eum perurgeret ad urgendum et exeundum e coenaculo, ne moram ibi diutius trahens, et sermonem Domini post cenam habitum audiens, resipisceret, et proditoris scelus expueret. Quare viderint illi, qui destinata opera sub concione libros legunt, vel alia agunt, ne attendere cogantur ad Dei verbum. Certe Scriptura tales appellat *serpentes et furiosos*, Psal. LVII. *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium et venefici incantantis sapienter*. In quem locum S. Augustinus ita scribit: « Magus incantat ut educat aspidem de tenebrosa caverna; utique in lucem vult educere: illa autem amando tenebras suas, quibus se involuta occultare dicitur, quod exire noluerit, recusans tamen audire illas voces, quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terræ, et de cauda obturat alteram, atque ita voces illas, quantum potest, evitans non exit ad incantantem. Huic similes dixit Spiritus Dei quosdam non audientes verbum Dei, et non solum non audientes, sed omnino ut non valeant audire, facientes. » Sed quid si his serpentibus rependat Deus aliquando vicem, et claudat aures suas, cum ipsam invocabunt? Certe id fecisse refert Jacobus a Vitriaco card. serm. CXC. et ex eo Joannes Raulinus:

fuisse enim virum, qui verbi Dei auditum pertinaciter fugiebat; eo mortuo et ad templum delato, cum sacerdos justa persolvere inciperet, imaginem Crucifixi manibus e cruce solutis digitisque utramque aurem obturasse; proinde ac si diceret: Non auditus non audio. Visum id ab omnibus qui aderant, explicuit sacerdos, hominem videlicet verbi divini contemptorem fuisse, nec unquam persuaderi potuisse, ut christiano more conciones frequentaret. Sic velut Dei hostis e templo elatus, in profana humo defossus fuit.

CONCIO II.

EXCEPTIONES OB NEGLECTUM VERBI DEI REFELLUNTUR.

I. Propter concionatorem. — II. Propter concionam. — III. Ob personam propriam.

THEMA.

Sedens docebat de navicula turbas. Luc. V.

Miratur jure merito S. Ambrosius, lib. IV. in Lucam, cap. V. fervorem illius turbæ, in hodierno evangelio, quæ irrui in Dominum, ut audiret verbum ejus. Ita enim ait: *Vesper incubuit, sequebantur: stagnum occurrit, urgebant: et ideo ascendit in Petri navim*. Poterat hæc turba facile excipere contra sermonem Domini, ab eoque se subducere, tum quia tempore incommodo, vespertina scilicet, concionem haberet; tum quia in loco minime sacro, sub dio videlicet, ubi vel solis æstus audientes vexabat, vel tempestas alia; tum quia ad litus maris, ubi, urgente turba, comprimebantur auditores, quin et in maris undas vi impellerentur; tum denique, quia Dominus ex insolita cathedra, fluctuante et vili, e navicula verba sacra faciebat. Verum, auditores, nullæ tales exceptiones audiuntur a turba in hodierno evangelio: quinimo e contrario irruerat in Dominum, ut audiret verbum ejus, tametsi non exigua sua incommoditate. Confundit ergo et arguit non paucos nostri temporis tepidos Christianos, qui, ne audiant Dei verbum, non dico ad mare, sed in templis prædicatum, exceptiones afferunt, impedimenta prætendunt, mania plerumque et fictitia. His igitur occurrendum duximus, quod nunc faciemus.

I. Exciipiunt aliqui contra concionatorem. Primo, quia forte ærior in reprehendendo est. Præterit hanc causam Achab contra Michæam prophetam, III. Reg. XXII. *Ego odi eum*, inquit, *quia non prophetat mihi bonum, sed malum*. Congregaverat is quatuor centum pseidoprophetas, qui loquerentur ei placita, ut in prælium descenderet, spem certæ victoriæ, sed deceptus fuit,

in prælio occubuit; qui si Michæam audisset, vixisset. Ingrata sunt lixivie præsertim acia capiti psora et scabie pleno, sed tamen necessaria: neque sordidæ patinæ bene abluuntur frigida aut tepida, sed fervente solum aqua. Diabolus est qui suggerit blandos concionatores, non acres audiendos; quemadmodum Philistæi caverunt, ne esset faber in Israel, qui posset Hebræis arma cudere, ut sic armis sub potestate sua continerent, I. Reg. XIII. Sed quis ferat, inquit, strepitum fabrorum et objurgationem concionatorum? Sybaritæ illi delicatuli et molles ea infamia adhuc laborant, quod fabros e civitate sua exturbant, quo suavius et diutius dormirent: adeoque nec gallorum quidem cantum tolerarint, teste Athenæo, lib. XII. qui tamen ob hanc mollitiem pœnas tandem dederunt, quando in equis suis, quos ad tibiam saltare docuerunt, exeuntes in prælium, a Crotoniatis, qui tibiis inflatis equos illorum ad saltus provocabant, saltantes cæsi et oppressi sunt, teste Aristotele, in eorum rep. Qui ligna secare vult, securim ferro armatam habere debet: quod si a ligno seu manubrio excidat, nihil jam secare potest. Unde discipulus Elisæi, IV. Reg. VI. exiens ad secandum ligna, cum ei ferrum de securi in aquam delapsum esset, clamavit: *Heu, heu, heu, Domine*, q. d. quomodo jam ligna secabo, amisso ferramento? Et quomodo dura peccatorum corda scinduntur ad penitentiam, si concio eos non scindat? Quomodo contra hostes se defendent, qui arma non habent, nec periculi sui admoneri volunt? Cum apud Amyclæos (est oppidum Italiæ inter Cajetam et Terracinam) subinde nuntiaretur hostium adventus, idque falso, et ob eam rem civitas frequenter inani terrore quassaretur, lata lege cautum est, ne quis unquam hostis nuntiaret adventum. Atqui postevenit, ut jam vere advenirent hostes. Quod cum nemo nuntiaret, propter legis interdictum, civitas de improvviso capta est. Qui casus populari joco dedit occasionem ut dicerent: *Amyclæi silentio perisse*, Eras. in adag. His simillimi sunt delicati illi, qui nihil triste, nihil asperum, quo feriantur, audire in concione volunt, sed: *Loquimini nobis placentia*, aiunt. Quibus aliquando continget quod Amyclæis; ut dum ipsi dicunt: *Pax, pax*, veniat hostis et repentina mors, auferatque imparatos ad Dei tribunal. Secundo, quia forte ipse bonus non est. Sed contra jam armavit nos Christus dicens: *Quæ dicunt, facite; secundum opera vero eorum nolite æcere*. Scimus ex Act. cap. I. etiam umbram Petri, et Act. XIX. semicinctia Pauli sanasse ægrotos. Umbra Petri sunt, qui potestatem quidem Petri habent ad prædicandum, vitam tamen et virtutes S. Petri non habent:

semicinctia sunt velamina linea vel pellicea, quibus opifices (qualis erat Paulus) pectus et femoralia operiunt; cujusmodi opificibus similes sunt concionatores, qui bene quidem loquuntur, sed non bene operantur, sicque ab anteriori parte velati et muniti sunt, non a tergo. At non impedit hoc quin et ipsi suis sermonibus peccatores sanare ac convertere queant. Videmus sæpe in hortis magnatum cultioribus aquam limpidissimam ac frigidam effluere e fontanis per capita non tantum angelorum et hominum affabre fictorum, sed etiam per capita serpentum, leonum et aliarum bestiarum, neque propterea inde bibere quis horret. Saluberrima est verbi Dei aqua, tametsi quandoque fluat per os impuri prædicatoris. Ad hæc nonne sæpe in mediis spinis et vepribus reperiuntur implexæ vites, indeque dependentes botri? Et quis propterea eos non decerpit, quia inter spinas pendet? Unde S. August. tract. XLVI. in Joan. super id: *Numquid colligunt de spinis uvas?* Hæc de re ait: *Botrum carpe, spinam cave*, q. d. quando ex ore reprobi prædicatoris audis doctrinam bonam, botrum in spinis vides; carpe botrum, cave spinas. Unde subdit: *Pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, et portat fructum spina non suum*: et mox: *Cathedra ergo Moysis vitis erat, Phariseorum mores spinæ erant* doctrina bona per malos, palmes in sepe.

II. Alii propter concionem; primo, quod sit nimis longa. Fateor cavendum esse concionatori, ne nimis diu populum detineat, et horam non excedat, interim si id raro et in serio valde argumento contingat, non ideo concionem statim arguendam censeo. Scio enim Christum subinde etiam diutius protraxisse sermonem, ut illum, quem in monte habuit, relatum a Matthæo, ut arbitror, compendiose, per tria integra capita, scilicet V. VI. et VII. et quem post ultimam cenam habuit, relatum a Joanne per quinque capita, scilicet XIII. XIV. XV. XVI. XVII. De S. Paulo scribit Lucas, Act. XX. quod aliquando Troade protraxerit sermonem usque in mediam noctem: quod tamen magno audientium bono et solatio factum fuit. Nam inter concionandum adolescens quidam Eutychus nomine: *Sedens super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio coenaculo deorsum et subleatus est mortuus*. Hic puto aliquorum voces tonuisse contra Paulum, quod longiore sua oratione effecerit, ut hic adolescens somno obrueretur, et lapsu vitam amitteret. Verum expectemus Paulum. Descendit enim Paulus, et incubuit super mortuum, eumque vitæ et sanitati pristinæ restituit, magno omnium solatio et fructu, ad credendum evangelio; qui sane non prodici-